



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Praefatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

P R A E F A T I O A D L E C T O R E M.



*N*ULLAM, Amice ac Prudens Lector, huic Ope-
ri necessariam Praefationem merito forte indica-
ueras: quid namq; in illo contineatur, quò-ve or-
dine, titulus ipse & facilis & communis ostendit.
Quid enim PHILOSOPHICVS CURSVS
nisi quaestiones omnes, eâ methodo quâ triennio
in Scholis traduntur, complecteretur, Summulas, Logicam, Physi-
corum, de Calo, de Generatione, & Animâ libros, quibus coronan-
dem Metaphysica imponit? Quid autem in hac totâ Philosophiâ
sectatus fuserim, ex communi omnibus ferè Praefationibus clausulâ
vel me tacente tetigeras: me scilicet hac dicturum, & solam ac nu-
dam Veritatem ante oculos mihi obuersatam, & omnem me erga
hunc aut illum Auctorem exuisse affectum, illum qui haud in pau-
sis non semel rectam turbavit opinionum electionem; & breuitati,
claritati, ac subtilitati, pro ingenij mei Viribus, post constantem ac
diligentem speculationem, post frequentes cum doctissimis & acu-
tissimis Viris concertationes, incubuisse totum: denique pro his, qua
minùs grata occurrent sapè, veniam à me supplici petendam; qua
verò ingeniosè ponderata inuenientur, in summum illud Numen,
Deum Opt. Max. ingenia liberaliter donantem, doctrinam gra-
tiosè promouentem, à me seriò refundenda. Si consentiens in om-
nibus Praefationibus phrasis, si Veritas ipsa non persuaserat; Au-
ctoris saltem status, Religiosus scilicet, omnem modestiam, humi-
litem, ac gratitudinem in Deum pra se ferens, euincere debue-
rat. Ergo qua Praefatio tibi poterat significare, priùs tu sine illâ
cognoueras: ita est. Cedendum tamen consuetudini, ne vel illius
osor, vel paradoxus, exiguâ licet in re ab aliquo indicari queam.
Duo ergo singulariter à te, Amice ac Prudens Lector, exposco: Pri-
mum, ne aliquando fortè opinionum nouitate terrearis, easq; vel
hoc solo nomine reijcias; ita enim multi. quos acutè Tertullianus
(ni fallor) refutat, dum & ipsorum etiam opiniones nouas ali-
quan-

quando fuisse, & nouas has olim futuras antiquas obseruat. Fuit etiam quondam noua summa illa ac diuina Christiana Religionis doctrina, non tamen idè & tunc aut minùs uera, aut amplectenda minùs, nisi ab ijs qui (uerba sunt Tertulliani aduersus Gentes) oderant, quia ignorabant quale esset quod oderant; simulque ut definunt ignorare, cessant & odisse. Versamur nunc non in Theologicis quaestionibus, quarum fundamenta à reuelatione Dei, à Sanctorum Patrum auctoritate primariò desumenda, ultimum rationi aut experientia relinquunt locum; sed in rebus naturalibus, in quibus prisci illi Philosophi, non diuina reuelationi innitentes, aut caelesti illuminatione illustrati, sed ingenio fulti, ex his quae intuebantur oculis, percipiebant auribus, palpabant manu, olfactu sentiebant, gustu libabant, varias intulere conclusiones: quae postea in opiniones, in oracula, ab eorum discipulis, prout in Magistrum affectu subebat, promotae sunt. Non dubitabis, prout, Prudens Lector, etiam his temporibus quinque nobis esse sensus, non semper hebetiores, acutiores sapere. Ingenium non in solo Platone aut Aristotele terminatum est; nec enim est abbreviata manus Domini. Non ambigo, in D. Thomà, Gaetano, Molinà, Suarez, alijsq; multis, tantum, si non maius, quàm in illis fuisse. Experientia extra controuersiam nobis longè superiores sunt: quae enim illi obseruarunt, nos eorum saltem auctoritate freti nouimus: multa alia singulis diebus innotescant, quae tunc latuerunt: cur ergo & nobis non licebit consequentias nouas deducere, ab ipsis deductas non semel nullas fuisse ostendere, momenta rationum nonnumquam ad lancem reponere, & leuiora manifeste deprehendere? Acute in hanc sententiam Anastasius Sinaita libro secundo, epistolà trigesimà quintà: Qui ante nos ista docuerunt, non domini nostri, sed duces sunt: patet omnibus ueritas, nondum est occupata; multum ex illà futuris relictum est. Testem te ipsum compello. Si Philosophiam hanc non iam obfirmato in antiquis opinionibus animo, sed solius ueritatis noscenda desiderio instigatus, peruolueris oculis, menteq; ponderaueris; inuenies sapè opiniones, quas uel in quaestionem uocare piaculum putabatur, tam infirmo nixas fundamento, ut mireris eas tot saeculis stare potuisse; multas sapièsimè distinctas entitates sine ullà necessitate, fortè ob aliquam Aristotelis aut alterius Philosophi male intellectam auctoritatem: quid? ob solum illius placitum, non rarò è contrario, tibi rationum grauis-

grauissima momenta entitatum realem exigunt distinctionem, solis diuersis uocibus, aut phrasibus, de quarum significatione inuestigare non amplius permittebatur, quaestiones obuolutas. Fuit enim non pridem, & etiamnum apud multos (& hoc est alterum quod te monitum uellem) Philosophia solis terminis obscuris, axiomatis magnum quid exterius uerbo sonantibus, intrinsecus & reipsa famillaceis, ita composita, ut ruinae semper minari uideretur. Non desuere tamen aliqui, qui cum inuidia posterorum, uocum & uerborum puros sonos reijcientes, solidam illam reddidere: inter quos, ut & in ceteris materijs, longe altius extulit caput huius saeculi in Scholasticis Gigas Franciscus Suarez aureis illis duobus in Metaphysicam tomis, quem alij postea gloriose imitati sunt. Verum quia & campi vastitas, & tribulorum ac spinarum propè infinita copia, plurimum exigebat operam, multa adhuc relicta sunt, circa quae ego, longè illi licet impar, laborare potui, paleas reliquas uocum à solido rerum grano separando, & ad prima principia uel euidencia uel probabilia, prout materia permittunt, quaestiones reducendo, clariores semper ac faciliores discurrendi modos amplectens: ueritas enim non latebras quarit, sed patulas; non amat tenebras, sed lucem. Puto autem me in hoc puncto aliquid effecisse, ni grauius me grauium ac doctissimorum uirorum, qui Philosophiam hanc percurrerunt, uerba decipiant; & à multis alijs tam discipulis quam Professoribus aduulatio, quod uix credo, non res ipsa eandem extorqueant censuram; aut tandem nisi proprius affectus, qui turpiores etiam sumijs filios pulchros format, etiam oculos mihi insiciat: ideo tamen, si errauerim, facilius ueniam obtenturus. Hac bono, accipe animo: interim Theologica cum diuina gratia dispono, breuè primam Partem tibi daturus, ut totam Philosophiam, ac Theologiam, eo ordine quo in Scholis traditur, uno filo deductam (maximè enim in hoc laboraui, & Deo dante adnitari in posterum, ne consequentiam ullam deseruisse deprehendar) habere possis: licet enim multi multa tradiderint, uix tamen hucusque ab uno Auctore haec omnia, praesertim in Societate nostra, uidere potuimus. Vale.

BREVIS